Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Nomina et ordo successionis Salzpurgensium episcoporum.

Sanctus Rudbertus episcopus.
Sanctus Vitalis episcopus.
Anzagolus abbas.
Sauolus abbas.
Ezzius abbas.
Sanctus Flobargisus episcopus.
Iohannes episcopus.
Bertricus abbas.
Sanctus Virgilius episcopus.
Arn archiepiscopus.
Ammilioni abbas.
Adilramus arch.
Liuphramus arch.
Adilwinus arch.
Adalbertus arch.
Dietmarus arch.
Pilgrimus arch.
Adilbertus arch.
Agilofus archiepiscopus.
Geroldus archiepiscopus.
Fridericus archiepiscopus.
Sanctus Hartwicus archiepiscopus.
Guntherus archiepiscopus.
Dietmarus archiepiscopus.
Paldwinus archiepiscopus.
Sanctus Gebehardus arch.
Sanctus Tiemo arch.
Chunradus arch.
Sanctus Eberhardus arch.
Chunradus arch.
Adelbertus arch.
Eberhardus arch.

In kathalogo isto episcoporum vel abbates continentur qui absque pontificali ordine et dignitate regebant episcopatum iuuauensem. Hii sunt Anzogolus. Sauolus. Ethius. Bertricus. Ammilioni. Qui si de katalogo secludantur .xxvi. tantum connumerantur episcopi usque ad presentem dominum. E. sed eis adiunctus .xxxi. computantur.

Incipit vita beati Gayi episcopi. .xv.

Gayus quoque beatissimus mediolanensis episcopus, cum huius nefandi temporis discrimina uelut optimus nauta edita nouit sancte ecclesie, lintrem quam ad regendum susceperat, celesti fultus presidio ac pie conuersationis referto remigio ad predestinatum uite perhennis iter dirigere atque ab imminentibus grauissime persecutionis turbinibus uirtute qua poterat nitebatur uiriliter defendere. Cum in deceo sanctus Anatelon dum adhuc uiueret ad sacerdotale perrexerat culmen, ne forte se transeunte ad dominum tam rudis ecclesie status ut ad horam pastore proprio destitutus uacillare inciperet. Imitatus est quoque in hoc gloriosissimi apostolorum principis et sui magistri preclarissimum exemplar, qui sub idem fere tempus iacto romane ecclesie eternali fundamento clementem summe sanctitatis uirum cui super memini suo in loco statuit et ad sacerdotis predicationis exequendum uigilanti cura ministerium satis ydoneum substituit uicarium. Uerum ut cepta sequar, uir domino deuotissimus Gayus uero primum decessoris iudicio ac primodum toti sancte plebis amore perelectus in predicandi officio substitutus est, crebris insistebat hortamentis et precibus incredulorum corda ad fidei normam conuertere, et eos quos humani generis inimicus captiuos effecerat, ad filiorum dei eternalem libertatem perducere satagebat. Sed quoniam numquam est dei manus inops muneris, que sacrificium suscipit bone uoluntatis, confestim ei insudanti diuina maiestas opitulata est et gaudium prebuit de suorum augmento filiorum, quem patrui ac magistri sui obitus non parum perturbabat. Etenim saeua licet et perquam truculenta paganorum aduersus christi fideles querela magis magisque insurgeret, nichominus tamen cotidiana hostis inuidi dampna et christo ihesu ex ydolatrie clientibus lucra fiebant. Et iam non quilibet, sed etiam consules ipsi quos mundi gloria reddiderat clariores, ad christi properant obsequium festinabant. Superioribus enim diebus sanctus Uitalis insignis quidem carnis origine nobilis, sed meritis culmine nobilior ciuium mediolanensium maximus et inter suos non mediocriter honoratus, una cum religiosissima coniuge Valeria, cum filiis Geruasio et Prothasio atque omni familia domus christi fidei sociatus est, et cum eo pariter quam plurimi maiorum natu conciuium, in quibus et Philippus cum suis uir apud seculum illustrissimus. Quod uero uidit uir doctissimus Gayus quod multi scilicet ex senatoribus abdicato ydolatrie cultu ad christi seruitium deuotissime confluerent, cathecizans eos iussit continuatis ieiuniis et uigiliis secum pariter operam dare, ut aduenienti paschali sollempnitate candidati inuenirentur sacro baptismatis lauacro regenerandi ut consecrandi, premuniens eis et protestans quia paulo post aliquanti ex ipsis per gloriosam esset christi confessionem martirio coronandi, atque ad inestimabilem celorum gloriam perducendi. Est autem hodieque haut longe ab eadem urbis menibus ad plagam australem iuxta uiam que ducit ad ticinensem urbem fons quidam uitreas ac salubres emanans aquas. Ad hunc quoque pacto ieiuniorum cursu ueniandus presul cum uniuersis qui signati erant accedens, flexit genua ad patrem domini nostri ihesu christi, et inuocata ex more sancti spiritus presentia, fontem ipsum sollempniter benedixit, cunctosque cathecuminos in trinitatis unice nomine tingens, manus impositione sanctificauit. Postremo indutus in commune libatis mysteriis, ac prece iterum fusa, conditori ac gubernatori deo suas oues commendauit. Ex eo tam clero quam fidelium plebi toto episcopatus ipsius tempore, quia ecclesie conuentui sacre domus ob aduersantium paganorum tumultum non potuit edificari, ibidem ad celebranda celestia moris fuit conuenire. Cuius benedictionis affluentia pristinam ad presens seruauit gratiam, adeo ut plures egrotantium si quando in febrium estuantes fontis predicti unda potasse contigit, nec mora integerrima sese medela hausisse gauisi sunt. Interea presul dei reuerentissimus Gaius maximo ut fertur ductus amore uisendi magnificum apostolorum principem